




Old
Museum ...

1156

12 Jüel



5

REPETITIO
L. 3. D. de Just. & Jur.

AD MANDATUM AM-
pliss. Facultatis Juridicæ

PRO LOCO
proposita,
eamque

DOMINICUS ARUMÆUS
FRISIUS.

*In Auditorio ꝯctorum die
23. Februar. defendet.*



ꝯ E N Æ
TYPIS TOBIÆ STEINMANNI,
ANNO 1605.

REPETITIO

L. J. D. de Jus & Jur.


AD ANNAEAE FACULTATEM

PROLOGO

DOMINICUS ARDENNEUS

IN ANNAEAE FACULTATE

THEOLOGICALI



REPETITIO

L. 3. de Just. & Jur.

THESIS I.



Uamquam Jure omni
prospectum sit, ne quis in alium
infesta sumat arma, aut fata cuiquam
sævus ferro præparet. *l. 3. C. de episc.
audient.* non tamen ex eo lacepsitus, & in discrimine
vitæ constitutus, se defendere prohibetur.

II.

Idque ex cognatione ea, quam natura inter ho-
mines constituit, profluit. Si enim hominem homini
insidiari nefas est, teste *Florent.* certè hominem ho-
mini insidiantem repellere, & interficere licere fas
erit. *Cic. 3. Offic.*

III.

Quapropter si *Titius* minanti voce, ferroque
rutilante *Seium* aggrediatur, eumque aggressus in-
terfecerit, jure cæsum omnia jura, legesque omnes
pronuntiant.

IV.

Quod ipsum exemplo animantium, à quibus
jus naturale arcessimus, constare poterit. Nec enim
alio fine Leonibus robur, Apibus aculei, Tauris
spontè nascentia cornua data sunt, quam ut lacepsita
in sui protectionem iis utantur.

A 2

Quæ

V.

Quæ tamen in illis simplex saltem, & genericè
stans erit defensio, in hominibus verò propriè inju-
riæ, quam bruta non committere dicuntur. *L. 1. §. 3.
ff. si quadr. paup. feciss.* propulsatio.

VI.

Quapropter cessante injuriâ, aut vi illata, con-
sequens erit defensionem cessare. Et ideo qui aggre-
dienti, & terga jam vertenti acrius, & quidem usque
ad interneccionem instat, puniri debet.

VII.

Quæritur quæ poena & *Salyc. Decius* putarunt Le-
gis Corneliæ de Sicariis, elucet quippè nunc occi-
dendi animus, dum moderamen excedit. *Boer. Covarr.
Geil. Fachin.* arbitrantur eam judicis arbitrio dictan-
dam esse, & Rectè: mitius quippe cum eo agendum
erit, qui provocatus se ulcisci voluit. *L. qui cum. §. si
libertus. ff. de bon. libert. L. quod calore. ff. de Regul. Jur. L.
Imperatores. ff. ad L. Iul. de adult.*

IIX.

Unde apparet, defensionem sic instituendam
esse, ut non ulciscendi, sed protegendi animo fiat
& incontinenti, non ex intervallo, quod non tam
ad moderamen inculpatæ tutelæ, ut *Dd.* volunt:
quàm ipsam defensionem spectat; nec enim defensio
sed ultio est; quæ non in continenti fit *L. 3. §. cum igi-
tur. ff. de vi & vi armat.*

IX.

Addunt & nostri, ut inermis cum inermi, non
armatus cum inermi congregiatur, itidem, simili
telorum genere. quod prius simpliciter admitti vix
potest; quid enim si integer ævo juvenis senem
pugno

pugno mactaturus petat? an nē iniquum fuerit, se-
ni, gladio vel quo alio instrumento se defendere,
permittere? *l. scientiam. §. qui cum aliter. ff. ad L.
Aquil.*

X.

Posterius simpliciter falsum est, nec enim de-
fensio dici poterit, quæ non incontinenti vim depel-
lit, paria autem arma incontinenti parari nequeunt.

XI.

Falsum quoque & illud est, quod nonnulli mo-
dum defensionis concernere putant, Insultatum, si
possit, fugere teneri, quoniam in fuga nulla est de-
fensio, imò potius sui ipsius offensio, cum per fugam
adversarius reddatur audacior.

XII.

Similiter nec illud admitto, quod tamen plurimi
defendunt, provocatum jctum primum expectare
debere, siquidem vis impendens, non illata repelli-
tur, & potentia, quæ actui proxima est, censetur esse
in ipso actu. *L. 1. §. si jusserim. l. quod meo. §. si vendito-
rem. ff. de acquir. poss.*

XIII.

Quæritur an L. nostræ decisio ad rerum defen-
sionem extendi debeat? *Bartol. Clar. Schurff.* adfir-
mant, quia Leges permittunt possessionem armis de-
fendere. *l. 1. C. und. vi.* Permittere itaque censentur
necessariam consequentiam, ut si sequatur homicidi-
um illud impunitum remaneat. *arg. l. 2. §. de Jurisdic-
t. Zoan. Garz.* negant. quia vita hominis, nisi inconti-
nenti defendatur, semel amissa recuperari nequit,
res verò ablata legitimis remediis repeti possunt.
Rectè.

XIV.

An ad defensionem pudicitiae? exemplum est apud *Plutarch.* in vita *Marii de C. Lusio* ejusdem sororis filio. & affirmam. *L. 8. §. quod si dederit. ff. quod met. caus.*

XV.

An ad defensionem honoris? *Bald. Clar. Curt. Jun.* Adfirmant, quia crudelis est, qui famam suam negligit *c. noli. 12. q. 1.* & non minor est infamiae timor, quam mortis. *L. 8. §. penult. ff. quod met. causa.* Negant *Romul. Alciat. Rectè.*

XVI.

Non tamen prohibetur injuriatus simili vel alia verborum injuria excipere injuriantem, ut si dicat: Tu fur est, rectè replicabit, Tu mentiris. etiamsi *Zoannet.* dissentiat. *Vaud. 2. var. quest. 29.*

XVII.

Et quamvis *L. nostra* proprii corporis tutelae mentionem saltem faciat, non tamen dubito, quin ad aliarum personarum tuitionem rectè extendatur, ita quidem, ut necessariae personae, in quas, praeter ceteris necessaria officia conferre tenemur, ut *Gallus Aelius* vult, defendi debeant. Extraneae ita demum, si id sine propriae vitae incommodo fieri possit.

XVIII.

Defensio à quo fiat, parum refert, sicuti nec contra quem, dummodò vim inferentem, temporis & loci exceptione remota.

XIX.

Quæritur, si Sacerdos baptisaturus infantem morti vicinum insultetur, an potius se defendere, vel infantem sine baptismo mori sinet? *Claud. Sefeyfel.* dicit, non peccare Sacerdotem, si se defendat. Rectè.

Sequitur

XX.

Sequitur jam paucis defensionis probationem inquiramus, de qua sic statuimus, Alleganti incumbere eam, est enim homicidium de genere prohibitorum, in cuiusmodi delictis doli præsumptio militat contra facientem, *L. 1. C. ad L. Cor. d. Sicar.*

XXI.

Probabit autem ex sententia *Bartol. Angel. Geil.* se ab occiso invasum esse, & ad necessariam defensionem ipsum interfectum esse.

XXII.

Quam sententiam *Bald. August. Arim.* improbant, qui volunt, unum hunc articulum, qui est de provocatione, ponendum & probandum esse. necessaria enim defensio in prius facta aggressione injusta maximè fundata est. Rectè.

XXIII.

Quemadmodum per contrarium priore omisso, posterioris probatio sufficit.

XXIV.

Ad quod probandum sufficiunt testes domestici, foeminæ, de credulitate deponentes, & similes, nec præsumptionibus & indiciis locus negatur.

XXV.

Unde pro Coronide quæri potest, si *Titius* dicat, se *Seium* ad sui defensionem occidisse. sitne huic adsertioni standum? & quidem *Bartol.* id negat. quæ sententia dura est, imò melius inspiciemus ex mente Constitutionis *Carolinæ art. 143.* conditionem personarum, tam scilicet interfecti, quàm interficienti, quid enim si occisus, homo vilis sit, occidens gravis, modestus, & vitæ laudatæ, annè iniquissimum fuerit, hunc ut homicidam puniri?

Corol-



Corollaria.

1.

PActum hoc, si intra certum tempus pecunia non solvatur, res justo pretio creditori empta sit, valet.

2.

Interdictum *U T I P O S S I D E T I S* dejecto non competit.

3.

Maritus volens pro conservanda dote dare potest fidejussorem.

4.

Qui pecuniam judici dedit, ut secundum se in bona causa judicet, eam condicere potest.

5.

In contextu *L. quod si 32. ff. d. Rei Vind.* nihil immutandum est contra Cujac. 9. observat. 38. uti nec in *l. 11. ff. de peric. rei vendit.* contra Hotom. 5. observat. 10. uti nec in *l. 4. §. final. ad L. Ful. pecul. contra Alciat. 1. disp. 3.*

6.

Filia semel à Feudi successione exclusa, non manet semper exclusa.

F I N I S.

01 A 6651


ULB Halle 3
003 108 422



13 17
Relo







REPETITIO
L. 3. D. de Just. & Jur.

AD MANDATUM AM-
pliss. Facultatis Juridicæ

PRO LOCO
proposita,
eamque

DOMINICUS ARUMÆUS
FRISIUS.

In Auditorio Jctorum die
23. Februar. defendet.



J E N Æ
TYPIS TOBIÆ STEINMANNI,
ANNO 1605.